41* locus non indicatur ab Asquinio; Aquileiae COLETUS.

AVITIANVS·EVOCATVS·AGENS·SVPER LAT
AQVIL · B · M

Asquini apud Gravisium *Illir. Forogiul.* (1789) p. III. 78, qui conicit legendum esse *super latifundia* vel *super lateritias* vel denique *super laterenses Aquileiae.* Coletus inscr. Aquil. (1789) n. 23.

42* *Si vede ora in un angolo della casa dei Conti Michielli nella villa di Campolungo, luogo non molto distante dal Monte di Medea. Questo è un monte isolato tra il Natisone e l'Isonzo quasi in egual distanza da Gòrizia e da Aquileja; alle sue falde ha due ville chiamate una Medea di sopra, l'altra Medea di sotto* ASQUINI. Isdem fere verbis locum indicant CORT. COL. Fui Campolongi in illa villa lapidesque ibi alios descripsi Cortenovio quoque visos, hunc tamen frustra investigavi.

C · F · FLORENTINAE
IN HONOREM
PETRONIAE LAODICIAE
PAGANI METEIENSES PAGOR·II
PATRONAE

Io. Hier. Carli *sull' impresa degli Argonauti* (Mantuae 1785) p. 105 n. 168, quem librum non vidi. Asquini apud Gravisium *Illirico Forogiul.* (1789) p. 7. 83. Cortenovis Pironae p. 8, certe non ex lapide, nam *a* hanc formam habet A, id quod in titulis aetatis non Christianae ex lapidibus relatis Cortenovius nusquam commisit. Coletus inscr. Aquilei. ms. n. 24. Filiasi mem. ed. 1 2, 264, ed. 2 1, 472. Zambaldi Conc. p. 230 cf. p. 176.

Scribit Asquinius hoc titulo confirmari adventum in hanc regionem Argonautarum, Medeam enim ab antiquis Italis littera *d* carentibus dici debuisse Meteiam. Eodem loco repertum esse titulum n. 787 item extantem Campolongi: *I. o. m. sacr. Petronia Laudicia,* unde scilicet qui hunc commentus est nomen desumpsit.

43* *trov. in un campo presso Udine fuori della porta di Gemona tra quest' ultima e Paderno sulla strada che andava da Aquileja a Tricesimo.*

T·ATILIVS·T·L
GELENIVS
V · F · SIBI · ET
VALERIAE · L · F
PRIMIGENIAE
L·M·IN·FR·P·VIII
IN·AGR·P·XV

Asquini *giard. suon.* p. 7, ineditam dicens et disserens de cognominis *Gelenii* origine Celtica.

44* Utini in summo colle rep.

L·GRAXIVS·L·F
C · GRA ////////
S///I///D//SV

Asquini ms. apud Pironam ex Valvasonis de Maniaco commentario: *brevi informazioni pel governo della patria del Friuli.*

Vide titulum simillimum Cividalensem n. 1776.

45* Utini in vertice collis inventa dum effoditur cisterna.

D · M
VILIO · AP
I I I

Asquinius ms. apud Pironam ex Valvasonis commentario *brevi informazioni* cet.

46* in lap. Aquileiensi inedito.

CLOCAVIT

Asquini giard. suon. p. 22 'pro CONLOCAVIT'. Similiter legi in titulo Parmensi Grut. 492, 5 CLEGIOR.

47* Aquileiae a. 1789 inter rudera SS. Felicis et Fortunati rep.

IN HOC SANCTORVM
LOCO IN PACE QVIESCIT
ANICIA VLFINA VG DEO
DEVOTA QVE VIXIT ANN
PL M XVIII MENS V DVII
ANICIVS PROBVS VI ET
ADELETA PARENTES
FIL PIENTISS POSVER
de P III KAL SEPTEMBR
fl ri CIMERE VC CONS p. C. 459

Labus misit Borghesio (ex cuius fastis ad a. 459 excerpsit Rossius) acceptam opinor ab Hier. Asquinio. Confer epistulam de hoc titulo Borghesii ad Labusium scr. 30 Apr. 1844.

Vide ne sit falsa. Formula certe v. 8 ratioque verborum non expletorum huic aevo minime convenit.

48* Aquileiae.

AVGVR
vasculum *urceus* *lituus*
TRIPOS

Moschettini ms., inde Steinbüchel *Wiener Jahrb. A. B.* 47 (1829) p. 63 et Zandonati p. 215.

Lusus opinor subest de tripode sacro.

49* Ex titulis ad Aquileiam errore relatis vel certe nullo teste idoneo hos adnotare placuit.

1. Traiani inscriptio cum nomine C. Lucilii Pyladis a Reinesio 10, 3 errore collocatur Aquileiae, cum Lilius, a quo sumpsit, ponat 'in Civitate veteri'; est tubus plumbeus similis Fabrettiano p. 380 n. XXXIV Centumcellensi.
2. *d. m. Pontia Pontii filia* (Grut. 921, 6) apud Valvasonem collocatur *Aquileiae,* sed adnotatur: '*ab aliquo ut Romae inventa traditur*'.

Sequentes n. 3—10 male rettulit inter Aquileienses Zandonatius:

3. *Fatis Q. Fabius Nysus.* Est Hispana vol. II n. 3727 quam ex Bertolio p. 35 sumpsit Zandonatius.
4. *Fl. Gratianus pius felix max. victor ac triumf. semper Aug. pontif. max.* Pars est urbanae Orell. 1117; temere inter Aquileienses posuit Zandonatius p. 213 (cf. p. 33), demonstrandi causa ad Gratianum usque Romanos imperatores pontifices maximos appellatos esse.
5. *rex sacrorum* cet. Urbana est Grut. 1087, 8 pessime corrupta apud Zandonatium p. 213.
6. *Magillus L. l. Philom.* Allifana I. N. 4778; Zandonati p. 214.
7. *ab luco Libitina Q. Coruncani* cet. Urbana Grut. 971, 8; Zandonati p. 211.
8. *Q. Peticio M. f. Fal.* cet. Campana I. N. 3634; Zandonati p. 214.
9. *Dis M. L. Vettio Syntropho* cet. Urbana Orell. 2338, quam ad Belignam effossam a. 1776 ait Moschettinius in schedis; inde Zandonati p. 205.
10. *C. Voconio C. f. Call. Placido* cet. Hispana vol. II n. 3865; Zandonati p. 214.

50* Aquileiae.

ti. claudius | ti. l | syntrophus | uestiarius | centonarius | h. s. e

Don. 8, 75 (inde Mur. 946, 1; Orelli 4296) dicitur proferre ex Ramberto, apud quem non extat. Unde petita sit, nescio, nec constat mihi de sinceritate.

51* Aquileiae.

amphia. a. et. ɔ | l. exoche | uix. ann. xxi | pia

Mur. 1630, 1 ex Turrio, ut ait; at apud Turrium non extat et videtur petita aliunde.

V. FOROIVLIENSES ET CARNICAE.

Reiectanea Foroiuliensia et Carnica hoc capite simul edidimus, maxime ne Asquiniana discerperentur.

52* lapis olim repertus in Foro Iulii thesaurum absconditum significans nec cognitus ab agricolis, qui eo ad cultum terrae deprimendum utebantur tanquam lapide simplici, solum pondus praestans, in quo, cum fractus fuisset, canis aurea reperta fuit habens a tergo litteras, quae extant in fronte.

INTRINSECVS

Felicianus inter Patavina n. 27a; inde Ferrarinus in Traiectino libro reliquisque. Canis etiam pingitur.